



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. Quæ dispositiones corporis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

sanctorum quotidie celebrantium, aut communicantium, ad sacram Eucharistiam sine interruptione accedunt: sed id etiam confundere potest plures Sacerdotes, qui munia, & obligationes tam sancto statui convenientes sæpius negligunt, & tamen à celebratione quotidiana nunquam desistunt, licet parum de emendatione cogitent.

*Quest. 3.* Quot sunt dispositiones ad percipiendam cum fructu sacram Communionem?

*Resp.* Duplicis sunt generis; aliæ se tenent ex parte Corporis, aliæ ex parte animæ.

*Quest. 4.* Quænam sunt Corporis dispositiones ad Communionem requisitæ?

S. Carolus  
Actor. P. 46  
De Sacram.  
Eucharis.

*Resp.* Egregiè illas describit sanctus Carolus dum ait: *Opus est ut jejuni fideles ad sacram mensam accedant; ita ut saltem dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum quo Eucharistiam accipiunt, nihil omninò comederint, aut biberint. Sed præstantissimi hujus Sacramenti dignitas hoc postulat, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui propositionis Panes cum à Sacerdote suscepturus esset, se suosque pueros ab uxorum consuetudine pueros jam tres ipsos dies esse professus est; & ex Canone etiam veteri, qui tres, vel quatuor, vel etiam octo dies abstinentia in hoc genere proponit. Quod ad Corporis habitum pertinet, quem in sacra Communionem adhibeant, hæc Parochus præmonebit & curabit, ut summâ reverentia omnique humilitate Fideles accedant ac sumant, oculis non vagis, sed in Christi Corpus piè coniectis, ore supra pannum lineum suppositum modeste porrecto, capite non demisso, linguâ paululum labrum in-*

De Sacram. Euchar. Cap. XI. 197

ferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam suscipiant: neque linguam ipsam retrahant, priusquam Presbyter manum removerit: tum verò caput humiliter demittant, ita etiam ut suspiriis absterneant, quibus particula possint excuti: pallio quantum fieri potest adhibito, non birretis, pileisve plumâ inaniter ornatis, armis depositis; toto denique Corporis habitu decenti, humili & modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosas, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fucis, aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut præter faciem quidquam nudum non cernatur, velo denso super faciem demisso. Canone Liquidò. De Consecr. dist. 2. Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret quàm ceteri cibi. Can. Omnis homo. De Consecr. dist. 2. Omnis homo ante sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.

Et sanctus Hieronymus supra Matth. relatus à Divo Thoma ait; Si Panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant: quanto magis ille Panis qui de cælo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò ante hæere complexibus violari atque contingi? Quod etiam expressè habetur in Epistola 50. sancti Hieronymi, ad Pammachium.

Rationem affert Divus Bonaventura his verbis: Ad illud quod obicitur de conjunctione cum uxore, dicendum, quòd rarò contingit quòd homo jungatur secundum illum actum debitum exigendo, quin sit sibi aliqua culpa. Si autem solùm reddendo debitum, non

S. Tho. 3. p. q. 80. art. 7. ad 2.

S. Bonav. in 4. sent. dist. 12. q. 3. p. 2. in fine.

credo quòd debeat retrahi , nisi de congruo , vel etiam causâ prolis.

S. Greg. in  
Can. Vir cum  
propria. 33.  
q. 4.

Id ipsum clarè explicat sanctus Gregorius relatus in Canone , dum ait : *Si quis ergo sua conjuge non cupidine voluptatis captus , sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur , ipse profectò de ingressu Ecclesie , seu de sumendo Corporis Domini sanguinisque mysterio , suo est relinquendus judicio ; quia à nobis prohiberi non debet accipere , qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreanda sobolis , sed voluntas dominatur in opere commixtionis , habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant.*

Quod quidem satis ostendit , secundùm communem Canonum Patrumque doctrinam , eos , qui matrimonii debitum petendo aliam habere intentionem , quàm prolis generationem , quod tamen sæpè contingit inter conjuges , ad hoc Sacramentum eodem aut sequenti die accedere minimè debere.

S. Tho. 3. p.  
q. 80. art. 7.  
ad 2.

Sanctus Thomas Patrum sententias interpretatur , dum ait : *Dicendum quòd còitus conjugalis , si sit sine peccato , ( putà si fiat causâ prolis generanda , vel causâ reddendi debitum ) non alia ratione impedit sumptionem hujus Sacramenti , nisi , sicut dictum est de pollutione nocturna , qua accidit sine peccato : scilicet propter immunditiam corporalem & mentis distractionem.*

Editto del 30,  
Nov. 1683.

Inter alias externas dispositiones à sancto Carolo superiùs indicatas , illa certè à mulieribus præcipuè observanda est , ut scilicet ad sacram mensam pectore aperto accedere non audeant ; cùm præsertim in Edicto ab Eminentiissimo Cardinali Carpegna Vicario , de mandato Innocentii XI. publicato reperiantur hæc verba vulgaria : *Si comanda per parte della*

De Sacram. Euchar. Cap. XI. 199

Santità sua, in virtù di santa obediènza, à tutte le Donne di qualsivoglia stato, grado, e conditione si siano, che non comparischino per le strade, ne altri luoghi publici, ne rispettivamente l'arteggiane nelle loro botteghe, e molto meno si faccino vedere per le Chiese con il petto, ò spalle, ò braccia scoperte; mà copriano le spalle e il petto sino al collo, e le braccia sino à i polsi delle mani, con drappo ò altra cosa che sia densa e non trasparente: Prohibendo ne contrafacientes ad Sacramenta Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ admittantur.

Quæst. 5. Licet-ne in aliquo casu etiam non jejunis porrigere Eucharistiam?

Resp. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis, ut ait Rituale Romanum. Quod etiam definitum fuit in Concilio Constantiensi his verbis: *Decreuit ac definit, quòd licet Christus post cœnam instituerit & discipulis administraverit hoc venerabile Sacramentum; tamen, hoc non obstante, sacrorum Canonum autoritas & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum nec post cœnam conficiatur, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure vel Ecclesiâ concesso vel admissio.*

Conc. Constant. sess. 13.

Observandum tamen cum Divo Thoma, quod Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti; quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluatur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixta salivæ; quod vitari non potest.

S. Tho: 3. p. q. 80. art. 8. ad 4.

Quæst. 6. Infirmus periculosè laborans, qui semel non jejunus communicavit, potest-ne